



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Scriptoribus Ecclesiasticis Liber Vnus

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Coloniae Agrippinae, 1645

Seculum decimum quartum ab Anno 1300. ad 1400.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64672)

De Ioanne Parisiensi. 1296.

Ioannes Parisiensis, Ordinis Prædicatorum claruit circa annum 1296. Scripsit in quatuor libros Sententiarum, & Quodlibera varia: sed præcipue de potestate Regia, & Papali, & quoniam incidit in tempora turbulenta ob discordiam inter Bonifacium VIII. Pontificem & Philip-pum Pulchrum Regem Gallorum: & ipse Parisiis agebat, & docebat, videtur propensior fuisse erga Regem, quam erga Pontificem.

De Dino Mugellano. 1299.

Dinus Mugellanus scripsit in titulum de regulis iuris in sexto: claruit tempore Bonifacii Papæ VIII. ann. millesimo ducentesimo nonagesimo nono.

Seculum decimum quartum ab Anno
1300. ad 1400.

De Ioanne Duns Scoto.

Ioannes Duns Scotus, Ordinis Minorum, vir fuit acutissimo ingenio præditus, & cum docuisset primum Oxonii, deinde Parisiis, immatura morte diem extremum obiisse dicitur anno Domini millesimo trecentesimo octavo. Scripsit hæc.

Scriptum Oxoniense in quatuor libros Sententiarum.

Scriptum Parisiense in eisdem libros.

Librum Quodlibetorum.

Librum Collationum Parisiensium.

Librum de primo principio rerum.

Librum Theorematum.

Librum de cognitione Dei.

Tetragrammata quædam.

Sermones de tempore, & de Sanctis.

Com-

Commentaria in Genesim, in Euangelia, & in Epistolas valde obscura.

Item in Philolophicis.

Scriptit Quæstiones in Porphyrium, item in Aristotelis prædicamenta, Perihermenias, Priora, Posteriora, Elenchos, de Anima, Metaphysica, & Physica.

De Augustino Anconitano. 1301.

Augustinus Triumphus, patria Anconitanus, professione religiosus sancti Augustini, vir pius, & doctus, floruit ad initium anni 1300. sed obiit anno millesimo trecentesimo vigesimo octavo, cum esset annorum octoginta quinque, vt ex inscriptione sepulchri ipsius constat, quod habetur Neapoli in Ecclesia Fratrum Eremitarum sancti Augustini. Scriptit egregiam summam de potestate Ecclesiæ, quæ extat Romæ edita anno millesimo quingentesimo octuagesimo quarto. Scriptit etiam Commentarium in Canticum B. Virginis Mariæ, quod extat Romæ excusum anno millesimo quingentesimo nonagesimo. Scriptit plurima alia tum in sanctam Scripturam, tum in Magistrum sententiarum, tum etiam in Aristotelem, & sermones, ac tractatus varios, qui extare dicuntur in Bibliotheca Vaticana.

De Barlaamo. 1303.

Barlaamus Episcopus Hiracensis, vixit circa annum Dom. millesimum trecentimum tertium, & scripsit Epistolas multas ad Græcos de vnione cum Ecclesia Romana, quas edidit Henricus Canisius num. 6. antiquæ lectionis.

De Siffrido. 1305.

Siffridus Presbyter Misnensis, eodem tempore scripsit Sepitomen historiarum libris duobus comprehensam ab anno Do. 458. vsque ad annum Dom. 1037. Extat hoc opus impressum cum aliis historicis Germaniæ.

Nicephorus Callistus historicus Græcus, vixit tempore Andronici Senioris Imperatoris, cui dedicauit historiam suam: proinde vixit post annum Dom. millesimum trecentesium. Historia, quæ nunc extat Nicephori Callisti, continetur libris octodecim: & incipit à natiuitate Christi, ac desinit in annum eiusdem 625. Credibile autem est, multo plures ab eo libros scriptos fuisse, sed periisse.

Porro in historia huius auctoris, vt Græci, & Schismatici, non mirum videri debet, si inueniantur errores proprii Græcorum, vt de processione Spiritus sancti à solo patre, in ipsa præfatione. Magis mirum est, inueniri non paucos errores in rebus historicis, vt ex Annalibus Card. Baronii constat.

De Eberardo. 1305.

Eberardus Archidiaconus Ratisponensis, scripsit Chronicum ab anno 1273. vsque ad annum millesimum trecentesium quintum. Vide Henricum Canisium primo tomo antiquæ lectionis.

De Idiota.

Idiota, nomine proprio ex humilitate suppresso, scripsit libros quinque Contemplationum valde pios, & eruditos. Item regulas duodecim vitæ Christianæ, breues annotationes in Psalm. quingentesimum, libellum Contemplationum de B. Virgine Maria, qui libri extant in Bibliotheca SS. Patrum tom. II. edit. secundæ. Quando flourerit ignoramus, Ego in prima editione secutus aliorum iudicium posui hunc auctorem ad initium an. 900. sed postea legens diligentius eius scripta animaduerti, illum esse multo posteriorem. Nam in præmio libelli de Beata Virgine, citat verba sancti Bernardi ex serm. 2. super Missus est Angelus, & in libro quinto Contemplationum cap. septimo, dicit suo tempore Ecclesiam fuisse redactam fere ad angulum Occidentalem, & ca. vndecimo vtitur phrasibus

bus Scholasticorum, & in lib. de B. Virgine cap. secundo, & sexto, disputat de Conceptione immaculatæ Beatæ Virginis Mariæ, quæ quæstio post Scoti tempora maxime invaluit.

De Petro Aureolo. 1317.

Petrus Aureolus Ordinis Minorum, ex Prouinciali Aquitaniæ Archiepiscopus Aquensis floruit ann. Do. 1317. & multa scripsisse dicitur, sed Commentarium in primum librum Sententiarum, idque solum Romæ impressum vidi, anno millesimo quingentesimo nonagesimo sexto.

Citantur multa ex Aureolo apud Ioannem Capreolum sed ea typis mandata non exant.

De Antonio Andrea. 1317.

Antonius Andrea, natione Aragonius, Ordinis sancti Francisci, Scoti discipulus, scripsit in quatuor libros Sententiarum: quod scriptum editum est Venetiis anno 1578.

De Durando à S. Portiano. 1320.

Durandus à S. Portiano, natione Gallus, Ordinis Prædicatorum, & Episcopus Meldensis, Theologus insignis, scripsit in quatuor libros Magistri sententiarum Commentaria satis dilucida, in quibus quamuis nonnulla scripserit, quæ à communi Doctorum sententia abhorent, quædam etiam ab Ecclesia improbata sunt, ipse tamen in præfatione commentarii sui in Magistrum, disertis verbis asseruit ad Ecclesiam Catholicam Romanam pertinere iudicium de doctrina, seque omnia sua scripta eiusdem Ecclesiæ censuræ submittere.

Scripsit etiam librum egregium de origine iurisdictionum. Floruit circa annum Dom. 1320.

De Herueo Natali. 1320.

Herueus Natalis Brito, Ordinis Prædicatorum Magister generalis, Durandi æqualis, ac Theologus doctissimus

etissimus. Scripsit in Epistolas sancti Pauli, quod opus habetur inter opera S. Anselmi, ut supra diximus.

Scripsit etiam in quatuor libros Magistri sententiarum.

Item scripsit tractatum de potestate Papæ.

Alium de Sacramentis.

Alium de Christi, & Apostolorum paupertate.

Alium de utraque potestate Papali, & regali.

Alium de beatitudine.

Item scripsit Quodlibeta.

Item librum aduersus Durandum, in iis, in quibus à S.

Thoma dissentit.

Et seorsim libr. de unitate formarum contra eundem.

Nec non libros aliquot contra Henricum à Gandauo.

Et multa alia Philosophica scripsit.

De materia cæli.

De æternitate mundi.

De voluntate.

De secundis intentionibus.

Denique scripsit de Verbo.

De motu angeli.

De relationibus.

Obiit anno Domini 1325.

De Francisco Mayrone .1320.

FRANCISCUS Mayronis natione Scorus professione Religiosus Ordinis S. Francisci, Scoti discipulus, vixit tempore Ioannis vigesimi secundi Papæ, anno Dom. millesimo trecentesimo vigesimo.

Scripsit Commentaria in libros quatuor Magistri sententiarum.

Item Quodlibeta.

Formalitates.

De primo principio.

De expositione diuinorum nominum.

Et de vniuocatione.

Quæ omnia simul edita sunt Venetiis anno 1520. &

1556.

Scri-

Scriptit prætera Quadragesimale, & Sermones de Sanctis.

Item de paupertate Christi, & Apostolorum.

De virtutibus, & vitiis capitalibus.

De articulis fidei.

De Baptismo.

De humilitate.

De Indulgentiis.

De corpore Christi.

Angelis.

De suffragiis defunctorum.

De Pœnitentia.

De Ieiunio.

ultimo Iudicio.

De septem donis spiritus Sancti.

Quæ omnia iara olim impressa fuerunt Basileæ.

De Gulielmo Ockam. 1320.

Gulielmus Ockam natione Anglus, Ordinis Minorum Scoti discipulus, & æqualis Francisci Mayronis, vir doctus, sed fautor Ludouici Imperatoris IV. nimis ardens, ob quam causam in aliquos errores lapsus metuit, vt in Indice librorum prohibitorum eius nomen poneretur.

Scriptit in quatuor libros Magistri sententiarum.

Librum Quodlibetorum.

De fautoribus hæreticorum.

De Sacramento Altaris.

Compendium Theologiæ.

De actibus Hierarchicis.

De ingressu scientiarum.

De paupertate Apostolorum.

De potestate Pontificum, & Imperatorum.

Opus nonnaginta dierum, & dialogos, quæ duo opera cum aliis contra Ioannem XXII. scriptis interdicta sunt in Iudice librorum prohibitorum.

De Mo.

De Monaldo. 1320.

Monaldus Dalmata Ordinis Minorum, & postea Archiepiscopus Beneuenti, scripsit summam Iuris Canonici, quæ aurea dicitur, & impressa fuit Lugduni anno Dom. 1516.

Scripsit etiam quæstiones in quatuor libros Sententiarum, & sermones. Obiit anno Dom. millesimo trecentesimo trigesimo secundo, Martyrio coronatus, apud Saracenos, ut restatur Antonius Possevinus in apparatu sacro, tomo secundo.

De Nicolao Lirano. 1320.

Nicolaus Liranus ex Iudaismo conuersus ad fidem Christianam, & Ordine Minorum assumpto, scripsit Commentarium, siue postillans in vniuersa Biblia: quod opus notissimum est, & recognitum impressum est Lugduni anno millesimo quingentesimo nonagesimo

Scripsit præterea librum de corpore Christi.

Sermones de tempore, & de Sanctis.

Librum contra Iudæos.

Commentaria in quatuor libros sententiarum.

Quæstiones veteris, & noui Testamenti.

Tractatum de Visione Dei.

Expositionem decem Præceptorum.

Tractatum de idoneo ministrante, & suscipiente Sacramentum Altaris. Obiisse dicitur an. Do. millesimo trecentesimo quadragesimo nono.

De Pelagio Aluaro. 1320.

Pelagius Aluarus, natione Hispanus, Religiosus Ordinis Minorum, & Episcopus Syluentis, vixit tempore Ioannis XXI. Pont. circa annum Do. 1320. cuius Pontificis defensor acerrimus fuit.

Scripsit insigne opus de planctu Ecclesiæ.

Apologiam contra Gulielmum Ockam.

Speculum Regum.

Et

Et in libros Magistri sententiarum.

De Nicephoro Gregora. 1130.

Nicephorus Gregoras, historicus Græcus viuebat anno Dom. millesimo trecentesimo quadragesimo quarto, vt ex fine operis intelligi potest.

Scriptit libros vndecim de rebus Imperii Orientalis ab eo tempore, quo Imperium Orientale deuenit in potestatem Latinorum, & perduxit historiam vsque ad obitum Andronici iunioris, id est ab anno Domini 1200. vsque ad ann. millesimum trecentessimum quadragesimum quartum.

De Petro Paludano. 1330.

Petrus Paludanus natione Burgundus, Ordinis sancti Dominici, Patriarcha Hierosolymitanus, vir pius, & doctus, claruisse dicitur anno Domini 1339. tamen alii eum posteriorem faciunt, sed nulli eum collocant ante annum Dom. millesimum trecentessimum nec post ann. 1400.

Scriptit in quatuor libros Magistri sententiarum, sed non extant, quod sciam, Commentaria eius, nisi in tertium, & quartum librum.

Scriptit etiam tractatum egregium de causa immediata Ecclesiasticæ potestatis.

Scriptit quoque sermones de tempore, qui editi sunt Antuerpiæ an. 1572. multa alia scripsisse fertur, quæ non extant typis excusa.

De Ioanne Villano. 1330.

Ioannes Villanus historicus Florentinus, vixit tempore Ioannis XXII. Pontificis, & successorum eius Benedicti XII. & Clementis VI. & obiit ann. millesimo trecentesimo quadragesimo octauo.

Scriptit historiam vniuersalem temporis sui satis accurate, quamuis etiam leuiter attigerit priora tempora ab erectione turris Babylonicæ, vsque ad sua tempora.

Scriptit autem idiomate Italico, & totam historiã libris duo-

duodecim comprehensam perduxit ad an. Dom. millesimum trecentessimum quadragesimum octauum.

Quamuis autem propositum eius fuerit scribere historiam ciuitatis Florentiæ: tamen multa commemorat vtilia de rebus Ecclesiasticis, quæ ab aliis minus fideliter narrata fuisse inueniuntur.

De Guidone Carmelita. 1330.

Guido natione Catalanus, Prior generalis Ordinis Carmelitani, ac postea Episcopus Maioricensis, scripsit ingens volumen de omnibus hæresibus: quod extat impressum Parisiis. Multa alia scripsisse fertur, quæ ad manus meas non peruenerunt. Claruit anno 1330.

De Petro Bertrando. 1329.

Petrus Bertrandus Episcopus Eduensis, & Card. disputauit coram Rege Francorum Philippo VI. de iurisdictione Ecclesiastica, quæ disputatio extat in Bibliotheca SS. Patrum tomo 4. scripsit multa responsa, & librum de origine iurisdictionis, qui liber extat tum in tomo 4. Bibliothecæ sanctorum Patrum, tum etiam seorsim impressus cum aliis tractatibus.

De Astesano Astensi. 1330.

Astesanus Astensis scripsit summam Casuum conscientie libris octo, quæ typis mandata fuit Venitiis. Viuebat anno Dom. 1330.

De Adamo Goddam. 1330.

Adamus Goddamus, Anglus scripsit Commentaria in quatuor libros sententiarum, quæ edita fuerunt Parisiis anno millesimo quingentesimo duodecimo. Viuebat auctor anno 1330.

De Landulpho Carthusiano. 1330.

Landolphus, siue Ludolphus natione Saxo, professione Carthusianus, vir valde pius, scripsit historiam vite Domini nostri Iesu Christi ex Euangeliis deprom-

promptam. Scripsit etiam Commentaria in Psalmos iuxta sensum præcipue spirituales, claruit circa annum Dom. 1330.

De Lupoldo Bambergensi. 1330.

Lupoldus Bambergensis, vir eruditus, æqualis Landulphi Carthusiani, scripsit librum de iuribus Imperii, in quo multa admiscet ad historiam Ecclesiasticam utilia.

De Ioanne Andrea. 1330.

Ioannes Andreas Bononiensis Iureconsultus doctissimus, floruit tempore Ioannis XXII. Papæ, sed obiit anno 1348. Scripsit in quinque libros Decretalium, quod opus Nouellas appellauit. Scripsit etiam Glossas in sextum, & Clementinas, addidit quoque ad Speculum Gulielmi Durantis.

De Bartholomeo Pisano. 1335.

Bartholomæus Pisanus Ordinis Prædicatorum edidit summam, quæ dicitur Pisanella : quam imitatus est Angelus de Clauasio.

De Ioanne Calderino. 1340.

Ioannes Calderinus Bononiensis filius adoptiuus Ioannis Andree, scripsit in libros Decretalium.
Item Consilia, & decisiones.

De Ioanne de Baccone. 1340.

Ioannes de Baccone Anglus, de Ord. Carmelitarum Prior Prouincialis, Theologus, & Philosophus doctissimus, floruit tempore Clementis VI. Pontificis, & obiisse dicitur anno 1346. Scripsit Commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum, Compendium legis Christi; & *Quod libera*: quæ typis excusa extant. Alia per multa scripsisse dicitur, quæ non vidi.

De Alberico. 1340.

Albericus Roxiatus Bergomensis, scripsit in sextum Decretalium.

De Simone de Cassia. 1340.

Simon de Cassia, natione Hænicus, Religiosus Ord. S. Augustini, admodum pius, vixit eodem tempore quo Ioannes de Baccone, & obiit Florentiæ an. Do. millesimo trecentesimo, quadragesimo octavo.

Scripsit libros quindecim de rebus gestis Domini Salvatoris.

Scripsit etiam librum de speculo Crucis.

Librum epistolarum ad diuersos.

Scripsit quoq; lingua Italica libros duos de vita Christiana, & expositionem Symboli Apostolici.

De Henrico Susone.

Henicus Suso natione Germanus, Ord. S. Dominici, vir fuit piissimus, & deuotissimus.

Scripsit horologium sapientiæ.

Librum de nouem rupibus.

Meditationes de Passione Domini, & alia. Viuebat an. millesimo trecentesimo quadragesimo.

De Roberto Holkoth. 1349.

Robertus Holkoth, natione Anglus, professione Dominicanus, scripsit in librum sapientiæ lectiones 213.

Item lectionem in Cantica Canticorum: & in septem priora capita Ecclesiastici.

Scripsit etiam Commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum, & alia quædam. Floruit circa annum Dom. millesimum trecentessimum quadragessimum nonum.

De Thoma Argentinensi. 1350.

Thomas de Argentina, natione Germanus, Ordinis S. Augustini Prior generalis, vixit tempore Clemen-

tis

Ab anno Dom. 1300 ad 1400.

275

tis VI. & Innocentii VI. & obiit Viennæ anno millesimo trecentesimo quinquagesimo septimo.

Scriptit Commentaria in Magistri sententiarum libros.

Scriptit etiam quaestionum è sacris Scripturis solutiones.

Sermones, & Epistolas, & librum Medirationum.

De Nicolao Cabasila. 1350.

Nicolaus Cabasilas Græcus, vixit tempore Ioan. Cantacuzeni Imperatoris, vel potius Tyranni. Fuit vir valde doctus, & Archiepiscopus Thessalonicensis, sed schismaticus. Scriptit tomos sex de vita in Christo, qui Latine impressi sunt Ingolstadii. Extant etiam libri de tribus Sacramentis, Baptismo, Vnctione, & Eucharistia impressi ibidem. Extat explicatio Liturgiæ apud Bignamum in Bibliotheca Patrum tomo 6. edito. secundæ ex qua cap. 29. & 30. omnino expungenda essent, vel cautissime legenda. Denique præter alia multa, scripsit de processione Spiritus sancti contra Latinos, vbi se hostem Ecclesiæ aperte demonstrat. Sed hunc librum impressum non vidi.

De Gregorio Ariminensi. 1350.

Gregorius Ariminensis, æqualis fuit Thomæ Argentinensis, & eiusdem Ord. sancti Augustini Prior generalis.

Scriptit Commentarium in primum, & secundum librum Magistri sententiarum.

Scriptit etiam in Epistolas S. Pauli, & in epistolam S. Iacobi.

De Richardo Armachano. 1350.

Richardus Radulphus, Archiepiscopus Armachanus vixit tempore Innocentii VI. Pontificis, & obiit anno 1355.

Scriptit libros nouendecim aduersus errores Armenorum.

Scriptit etiam librum aduersus Religiosos Mendicantes pro Parochis: dicitur etiam scripsisse in libros quatuor sententiarum: nec non libros de paupertate, & de intentionibus Iudæorum, & sermones aliquot.

Obferuatio.

Hic auctor caute valde legendus est, præsertim libro 10. contra Armenos cap. 4. & cap. 23. & 24. & libr. 11. cap. 4. & sermone primo, & quarto, in quibus locis multos errores habet de potestate Presbyterorum, de paupertate Christi, & de statu Religiosorum Mendicantium: consulat lector Thomam Valdensem, qui errores Armachani, & Ioan. Wiclefi, qui ab Armachano aliqua accepit, diligenter refutat: consulat etiam, si placet, quæ nos scripsimus lib. de Monachis cap. 45. & 46.

De Francisco Petrarcha. 1350.

Franciscus Petrarca, patria Florentinus, Archidiaconus Parmensis, & Canonicus Parauinus, lusit aliquando elegantissimis versibus Italicis, amores suos erga Lauram seu veros, seu confictos, vt haberet materiam exercendæ Musæ; sed pœnitentia ductus, & tempus in cantuunculis consumptum defleuit, & in solitudine positus vitam Christiano, & pio homine dignam egit, & multa opera grauia, atque vtilia scripsit, ac tandem pie sancteque obiit an. 1374. ætatis suæ septuagesimo,

Eius opera quatuor tomis continentur.

In primo Tomo hæc habentur:

De remediis vtriusque fortunæ, lib.	2
De vita solitaria.	2
De otio Religiosorum.	2
De vera sapientia, Diálogo	2
De contemptu Mundi, Dialogi	
Septem Psalmi pœnitentiales ad imitationem Davidis.	
De Rep. optime administranda, lib.	1

De

De officio, & virtutibus Imperatoris, lib.	I
Rerum memorabilium, lib.	4
Epitome vitarum virorum Illustrium.	
De pacificanda Italia Exhortatio.	
Ad veteres Rom. Reip. defensores Oratio.	
De libertate capeffenda hortatoria Oratio ad Nicolaum Laurentium.	
De obedientia, & fide vxoria.	
De auaritia vitanda.	
Itinerarium Syriacum.	

In Tomo secundo hac sunt.

Epistolarum familiarium lib.	8
Epistolarum ad quosdam ex veteribus illustriores.	I
Epistolarum sine titulo.	I
Epistolarum de rebus senilibus.	16
Epistolarum variarum.	I
De sui ipsius, & multorum ignorantia.	2
Gallianonymi in Petrarcham inuectiua.	
Apologia Petrarchæ contra Gallum.	
In Medicum quendam inuectiuarum, lib.	4

In tertio Tomo sunt.

Epistolæ octo de Laurea sumenda.	
Priuilegium receptæ Laureæ.	
Eclogæ duodecim.	
Africæ, siue de bello Punico carminum, lib.	9
Epistolarum carmine scriptarum.	3
Testamentum Petrarchæ.	

In quarto Tomo sunt carmina Italica.

De Nicolao Gorram. 1350.

Nicolaus de Gorram, natione Gallus Ordinis Prædicatorum, viuebat anno Dom. 1350.
Scripsit Commentaria in Pentateuchum.
In Psalmos. In Cantica.
In Ecclesiasten.
In Ecclesiasticum.

Item in Hieremiam.
 In Euangelia.
 In epistolas sancti Pauli.
 In epistolas Canonicas.
 In Apocalypsim.
 Denique etiam in libros sententiarum Magistri.

De Alphonso Vargas. 1359.

Alphonsus Vargas Hispanus, Archiepiscopus Hispalensis, obiit anno millesimo trecentesimo quinquagesimo nono. Scripsit in primum sententiarum, & in libros de Anima: quæ impressa sunt Venetiis anno 1566.

De Ioanne Taulero. 1350.

Ioannes Taulerus natione Germanus, Ord. S. Domini-
 ci, concionator insignis, & piissimus, scripsit:
 Sermones de perfectione vitæ interioris.
 Tractatus de virtutibus,
 Epistolas ad diuersos.
 Cantica spiritualia.
 De nouem gradibus Christianæ perfectionis.
 Speculum, & exemplar Domini nostri Iesu Christi.
 Exercitia de vita, & passione Christi.
 Vixit circa annum Dom. 1350.
 Porro hunc virum, vt suspectum circa fidem contemp-
 sit Ioannes Eckius; sed egregie eum defendit Ludouicus
 Blofius.

De Manuele Caleca. 1375.

Manuel Caleca, Græcus, vir doctus scripsit librum
 contra errores Græcorum pro Latinis, quem vertit
 in Latinum idioma Ambrosius Camaldulensis, iussu Mar-
 tini quinti Pontificis: & eum in libros quatuor partitus
 est. Vixisse videtur hic auctor post schisma Urbani VI. &
 Clementis VII. & ante schisma Eugenii IV. & Felicis V.
 nam libro quarto sui operis scribit, Romanam Ecclesiam
 suo tempore gubernatam fuisse à duobus Pontificibus,
 vbi

vbi videtur loqui de schimate illo diuturno Urbani VI. & Clementis VII. siquidem in eodem libro meminit Concilii Lugdunensis sub Gregorio X. à tempore autem illius Concilii non fuit schisma celebre, nisi schisma Urbani, & Clementis; quod enim excitauit Ludouicus Imp. inter Ioannem XXI. & Nicolaum V. breuissimum fuit. Itaque falsum est, quod quidam dicunt interfuisse Calecam in Concilio sub Gregorio decimo.

De Henrico de Hassia. 1380.

Henricus de Hassia Chartusianus scripsit:

In Magistrum sententiarum.

In Genesim. In Exodum.

In Proverbia Salomonis.

In Apocalypsim S. Ioannis.

Dialogum inter Episcopum, & Presbyterum.

Sermones varios.

Regulas ad discernendum peccatum lechale à veniali.

De obitu eius variant scriptores. Alii volunt obiisse an. 1317. & alii 1397. alii 1428.

De Ioanne Rusbrochio. 1380.

Ioannes Rusbrochius, natione Belga, Prior Monasterii Vallis Viridis, vir diuinæ contemplationi addictissimus scripsit lingua sua patria, varia opera, quæ in Latinam linguam conuersa edita sunt Coloniae ann. Dom. millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo.

Sunt autem hæc.

Summa totius vitæ spiritualis.

Speculum salutis æternæ.

Commentaria in tabernaculum Moysi.

Tractatus de præcipuis virtutibus.

Liber de fide, & Iudicio.

De quatuor tentationibus.

De septem custodiis.

De septem gradibus amoris.

De nuptiis spiritualibus libri.

Viuebat hic auctor anno Dom. 1390.

Hunc etiam Doctorem carpsit Io. Gerson, & defendit Dionysius Carthusianus. Id enim accidere solet iis, qui scribunt de mystica Theologia, ut eorum dicta ab aliis reprehendantur, ab aliis laudentur, quia non eodem modo ab omnibus accipiuntur.

De Marsilio ab Ingen. 1308.

Marsilius ab Ingen, qui obiit an. Dom. 1396. sepultus in templo suburbano sancti Petri Heidelbergæ, scripsit Commentaria in quatuor libros Sententiarum non inutilia, & in Academia Heidelbergensi Doctor, & primus Rector fuit, anno 1387.

De Baldo. 1390.

Baldus Vbaldus, natione Italus patria Perusinus, celeberrimus Iureconsultus, ac Bartoli quondam auditor.

Scripsit præter ea, quæ ad ciuile pertinent.

Commentaria in libros Decretalium.

Obiit anno Domini 1420.

Seculum decimumquintum ab Anno
1400. ad 1500.

De Petro Ancharano. 1410.

Petrus de Ancharano Bononiensis, Baldi auditor, floruit anno millesimo quadringentesimo decimo. Scripsit in libros Decretales, & in Clementinas, & Consilia.

De Antonio de Butrio. 1410.

Antonius de Butrio Bononiensis, æqualis Petri de Ancharano. Scripsit in Decretales, & Clementinas & Repertorium Iuris Canonici.